



**R. P. Sebastiani Izquierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii  
Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qualificatoris, Et  
Olim Complvti Sacræ Theologiæ Professoris. Opvs  
Theologicvm, Iuxta atque ...**

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Disseritvr ...

**Izquierdo, Sebastián**

**Romae, 1664**

Quæst. 6. Cur Deus per cognitionem creatam nulla potentia comprehendendi possit. Seu, quod in idem recidit, in quo consistat comprehensio propriè, & strictè sumpta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76990](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-76990)

tra Augustinum de Roma docet, animam Christi quantumvis beatam Deum non comprehendere. Quanquam enim hoc Concilium, utpote non confirmatum à Pontifice, non faciat cérram fidem; attamen communem Ecclesie sensum satis ostendit. Tertio probat propositionem communis auctoritas Scholasticorum, & Patrum. Scholastici enim vñanimi consensu assuerant, Deum à creaturā nec de potentia absoluta comprehendendi posse, ut ipsi Vazq. & Ariag. constentur. Patres etiam satis clare id ipsum se fentire significant, ut cernere licet in testimonij supra indicatis. Igitur sentiunt Patres, & Scholastici, veritatem hanc in sacrâ Scripturâ, aut etiam in decretis Ecclesie contentam esse. Aliud enim fundamentum ad illam tam vñanimiter adstruendum non potuerunt haberi: quandoquidem naturalis ratio evidenter non monstrat, esse Deum ab intellectu creato incomprehensibilem omnino, adhuc de potentia absoluta. Stet itaque de fide esse, cum esse talem. Id quod etiam ratio naturalis iudicet. Quia ut probabimus q. seq. obiectum infinitum, qualis est Deus, nisi infinita cognitione, qualis creata esse nequit, comprehendendi non potest. Porro, quām certum est, Deum à creaturā comprehendendi non posse, tam certum est, eum à se ipso comprehensibilem esse, atque de facto comprehendendi, ut monstrabimus in tract. de Scien-  
tia.

## Q V A E S T I O VI.

*Cur Deus per cognitionem creatam nullà potentia comprehendendi posset. Seu, quod in idem recidit, in quo consistat comprehensionis proprietas, & strictè sumpta.*

74 **D**ico, in idem recidere vtramque quæstiōnem: quia, cūm apud omnes sit certum, ut vidimus præced. q. prorsus impossibile esse, ut per cognitionem creatam strictè comprehendatur Deus, consequitur, quidiratiuum strictè comprehensionis conceptum in eo ponit debere, quod nulli cognitioni creatæ possit comparatione Dei conuenire. Cumque ratio à priori, cur Deus nequeat strictè comprehendendi à creaturā, alia esse non possit, nisi quia strictè comprehensionis perit ex suo conceptu, quod nulli cognitioni creatæ vñatenus conuenire potest comparatione Dei: consequitur, perinde esse inquirere, quid dicta comprehensionis postulet ex conceptu suo, seu in quo consistat, ac inquirere, cur Deus non possit à creaturā comprehendendi. Præsentis igitur questionis difficultas, supposita præcedentis resolutione, in assignando legitimo comprehensionis conceptu omni cognitioni creatæ comparatione Dei repugnantem posita est.

75 D. Aug. epist. 112. cap. 8. ita comprehensionis definit, pariterque à visione non comprehensionis discernit. *Aliud est videere, aliud tamen videnti comprehendere. Quandoquidem id videtur, quod præsens vñcumque sensit. Tamen autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil eius lateat videntem, aut cuius fines circumpisci possunt. Quemadmodum enim comprehensione corporeæ (a qua ad spiritualem nomen translatum est) tunc vnum corpus comprehenditur alio, quando vnum intra-*

alium plenè, & totaliter continetur, ita, ut superficies concava continentis conuexa contenti, adæquetur eam undeque ambiens, & circumplexans, ut si in maiori sphæra minorem penitus concludas. Sic comprehensione spirituali tunc obiectum cognitione comprehenditur, quando veluti continetur totaliter, atque concluditur intra sinus representationis eius, adeò, ut nihil lateat cognoscēt, penitusque vñque ad fines ultimos à cognoscēte circumpiciatur, ac penetretur. Quocirca ipse August. lib. 12. de Trinit. cap. 18. post medium ait, *Quidquid scientia comprehenditur, scientia comprehensione finitur.* Et lib. 83. qq. q. 14. *Quod autem se comprehendit, finitum est sibi.* Quam August. doctrinam omnes Theologi venerantur, & amplectuntur. Vnusquisque tamen conatur illam ad suum sensum trahere, dum comprehensionis, de qua agimus, definitionem sibi compingit. Quod varie præstant: & quidem contendentes ferè de solo modo loquendi: qualis ferè est omnis contentio, qua circa rerum definitiones versatur. Quod bene notarunt Vazq. Gran. & alij mox referendi.

76 Itaque nonnulli tacito nomine citati à Vazq. 1.p. disp. 53. cap. 1. quibus annuisce dicitur Franciscus Victoria, ita in adæquatâ totius Dei visione comprehensionem constituebant, ut dicarent, propterea Deum à Beatis non comprehendendi; quia non vident illum secundum omnem intensionis gradum. Hæc tamen sententia intellecta de intentione physiæ, & propriâ communiter improbabilis reputatur. Quia nec fas est in diuinâ substantiâ aliquod genus intentionis physiæ, & propriæ excogitare. Nec, si daretur, licet dicere, latere de facto Beatos aliquem intentionis gradum eiusdem substantiæ diuinæ.

77 Secundò Nominales apud eundem Vazq. cap. 3. apud Soar. & alios deinceps citandos, ut præsentem difficultatem euaderent, varias comprehensionis definitions, seu potius acceptiones excogitauerunt afferentes, comprehensionem esse primò visionem tangentem integrum obiectum, adeò, ut nihil eius lateat videntem. Secundò visionem discernentem inter partes obiecti. Tertiò visionem attingentem obiectum optimo modo, quo videri potest. Quartò cognitionem obiecti sub omnibus prædicatis, quæ ipsi conuenient possunt. Quintò denique cognitionem eamdem proportionem habentem cum alijs cognitionibus, quam habet obiectum cognitum cum alijs obiectis. Et primo quidem modo, inquit, Beati comprehendunt Deum: quia nihil Dei eos lateat reliquis vero modis minimè. Non enim secundo: quia Deus non habet partes per cognitionem discernendas. Non tertio: quia sic ne creatura quidem est cognitione creatæ comprehensibilis: cūm si meliori modo cognoscibilis per diuinam. Non quarto: quia solus Deus cognoscit omnia prædicata, quæ sibi conuenire possunt. Non denique quinto: quia nulla cognitione Dei potest aliorum obiectorum cognitiones excedere, quantum Deus excedit ipsa obiecta.

78 Ceterum prima harum usurpationum comprehensionis non est stricta, de qua loquimur, cūm detur de facto in Beatis, quibus comprehensionis Dei stricta repugnat, ut q. præced. statuimus. Quarta etiam stricta non est, utpote Beatis ipsi possibilis, qui faltem de potentia absolute bene possunt cognoscere, quæcumque prædicata Deo conuenient, aut conuenire possunt, ut ex dicendis

amplius patebit. Reliquæ vero acceptiones, quæ in Beatis dari nequeunt, aut ab aliis sunt, aut extraneæ. Etenim, ut obiectum sit comprehensibile, non opus est, quod habeat partes, inter quas comprehensio discernat, ut supponit secunda acceptio; cum sit certissimum, Deum se ipsum, & Angelos, aliaque omnia obiecta simplicia circa omnem partium discretionem perfectissime comprehendere. Deinde etiam est certum, posse unam creaturam comprehendere aliam; tametsi haec meliori modo a Deo sit cognoscibilis. Peroperam igitur requiritur tertio loco ad rationem comprehensionis, quod sit optima cognitionum, quæ circa obiectum comprehendendum versari possunt. Tandem eadem proportio inter cognitiones, quæ datur inter obiecta, impertinens censenda est ad rationem comprehensionis contra acceptiōnem quintam. Tum quia fieri potest, ut inter cognitiones, quarum nulla sit comprehensionis eadem seruet prop̄atio, quæ inter earum obiecta. Tum quia absque tali proportione se p̄fissimē comprehensionis vera sublūst. Comprehensionis enim tum in creatura, tum etiam creati lapilli, & cognitionis obscura Angeli, aut etiam Dei non seruant proportionem, quam obiecta, ut patet; quandoquidem comprehensionis lapilli perfectior est cognitione obscuræ Angeli, aut Dei; cum tamen Angelus, & Deus longissime excellant lapillum.

79 Tertio P. Vazq. disp. illa 53. cap. 4. & disp. 60. circa fidem docet, comprehensionem strictam esse, quæ videtur non solum, quidquid est intrinsecè res, quæ dicitur comprehendendi, sed etiam quidquid illam consequi, vel ab ea pende-re potest; ita tamen, ut haec extrinsecè ad rem, pertinentia aut tanquam effectus eius possibles, vel futuri, aut alter, non vteunq; se, sed ex visionis, quæ res videtur, attingantur. Vnde, infert, Deum à creatura incomprehensibilem esse, non vero à se ipso: quia, licet fieri possit, ut creatura videns Deum omnia obiecta extrinseca ipsi tam futura, quam possibilia cognoscatur per coimantem revelationem; at ex vi visionis, prout ad comprehensionem requiritur, illa cognoscere non valet: eo quod Deus nullam cum talibus obiectis connexionem habet, vi cuius ad ipsa cognoscenda possit creaturam se videntem determinare, ipse tamen aliunde, quam ab huiusmodi connexione, habet ex vi scientia, qua se videt, extera cuncta obiecta cognoscere: quia nimis sc̄ientia diuina ex eo, quod est scientia Dei tanquam primarij, seu formalis obiecti, cetera cuncta cognoscibilia cognoscere habet. Atque ita Deus perfectiori modo se comprehendit, quam si ex se viso tanquam ex medio ad cetera cuncta cognoscenda per connexionem cum illis induceretur. Consentit huic sententia, & doctrina Alarc. trac. I. disp. 4. cap. 6.

80 Ego vero, tametsi fatear cum communi, de ratione comprehensionis esse, quod ex vi cognitionis rei comprehendenda cetera, que ad ipsam pertinent, attingantur, prout minutius poterit explicabo, arbitrio tamen, id ad comprehensionem latius non esse; cum id cognitioni obscuræ, & confusa possit haud dubie conuenire: qualis comprehensionis esse non potest. Comprehensionis quippe iuxta sententiam omnium cognitionis clara, & intuitiva necessario esse debet; certumque subinde gradum claritatis, & perfectionis respectuè ad rem comprehendendam habere, ut inferius latius exponam. Præterquam quod sententia Vazq. aliunde mihi displaceat. Primo; quia

scientia diuina non ideo præcise, quia est scientia Dei ut primarij, & formalis obiecti, est scientia ceterorum cognoscibilium, ut ostendam in tract. de Scientiâ. Eoque iure subinde nequit esse Dei comprehensionis. Secundò; quia, si scientia diuina titulo attingendi Deum ut primarium, & formale obiectum attingeret cetera cuncta cognoscibilia, possibilis vtiique esset scientia cœata eadem titulo attingens, quæ propteræ comprehensionis Dei esset iuxta doctrinam Vazquez. Quod ex dictis q. 7. constat absurdum esse. Tertiò; quia conceptus comprehensionis, qui in praesenti definendus suscipitur, vniuersitatem debet esse communis omni comprehensioni, ut sub definitionem cadat. Quod eveniret secus, si, ut censet Vazq. comprehensionis, quæ se Deus comprehendit, esset cognitione pertinentium ad Deum ex vi attingendi ipsum ut primarium, & formale obiectum; comprehensionis vero, quæ Deus, aut Angelus, aut homo comprehendit creaturam, esset cognitione pertinentium ad creaturam ex vi attingendi ipsam, non ut obiectum primarium, & formale, sed ut medium connexum cum illis. Quartò; quia, ut aliqua res comprehendendarit iuxta doctrinam Vazq. non solum debet attingi ex vi cognoscendi ipsam, quæcumque ipsa facere potest, sed insuper quæcumque facit, sive factura est. Quo posito, stando in eiusdem doctrinâ, ne Deus quidem comprehendet voluntatem creatam, quod est absurdum. Quia non attingi, quæcumque ipsa factura est liberè ex vi cognoscendi ipsam aut tanquam obiectum primarium, formaleque, aut tanquam medium connexum cum illis: neutrum enim esse habet, ut constat, comparatione cognitionis diuinæ.

Quarto loco potest ponи sententia aliorum, qui, cum sentiant etiam, solum requiri ad comprehensionem, quod videantur simul cum re, comprehendenda, quæcumque in ipsa tum formaliter, tum eminenter continentur: aliter tamen, quam Vazq. sentiunt, ab intellectu creato videri non posse simul cum Deo, quæcumque continentur in ipso eminenter: nimis omnium creaturæ possibles, atque futura: eoque iure Deum ab intellectu creato comprehendendi non posse. Non tamen, & eadem ratione id probant omnes, sed multiplici, & varia. Thomista communiter, inter quos Fasol. I. p. q. 12. art. 7. dub. 5. dicunt, idcirco ab intellectu creato non posse videri in Deo omnes creaturas; quia talis visio esset simpliciter infinita, qualis creata visio esse non potest. Quod probant: quia ad videndum in Deo aliquot creaturas perfectio aliqua determinata visionis requiritur: ad videndum autem plures maior perfectio. Ergo ad videndum infinitas, quales sunt omnes, quæ continentur in Omnipotenti Dei eminenter, perfectio visionis infinita necessaria est. Ceterum per istud argumentum, calculatorum ut summum probari, visionem infinitarum creaturarum in Deo infinitatem quamdam habere non alienam à visione creatâ, ex dictis q. 2. compertum est. Dico, ut summum. Quia ne id quidem probatur iuxta sententiam meam, qui censeo, illud in quodam principio falso nisi, prout notaui ad calcem dictæ qualionis. Itaque, ut visio intuitiva Dei ab obiecto nou erudit infinita infinitate repugnante creaturæ, estò visio intuitiva creaturæ aliquam ab obiecto suo fortiori perfectionem, & inter Deum, & creaturam infinita distantia sit. Sic visio infi-

Disp. XVII. De nat. poss. & exis. Visi. Dei. Quæst. VI. 507

nitarum creaturarum in Deo multe minus ab obiecto euader infinita infinitate repugnare, creature; estò visio certi numeri creaturarum, aliquam à tali numero perfectionem sortitur; & inter infinitas creaturas, & quemuis numerum earum infinita distantia sit. Multè quippe maior est perfectionis distantia inter Deum, & creaturam, quam inter omnes creaturas possibles, & quemuis numerum earum, ut constat. Hoc sat. Plura contra hunc modum dicendi videlicet, quisque poterit in Atriag. 1.p. disp. 13. sec. 501.

<sup>82</sup> Alter Möncaus disp. 2. cap. 9. & Petr. Hurt. disp. 10. de Anim. sec. 3. & 4. dicunt, ideo non posse ab intellectu creato videri omnes creaturas in Deo; subindeque Deum ab illo comprehendendi non posse; quia visio creata, quæ una creaturarum est, per se ipsam videri nequit; eo quod de ratione cognitionis creata est à suo obiecto causari immediatè, aut mediatarè: visio autem creata se ipsam nullo modo causare potest. Vnde rursus fit, per visionem creatam neque videri posse, alias creaturas ipsam respectu intrinsecō respiciētes; cùm nullus respectus sine suo termino cognosci possit. Minus placet iste modus dicendi. Primo; quia falsum est, repugnare visionem, quæ sui ipsius cognitio sit; imo fortasse repugnat visio, quæ tui ipsius non sit experimentalis notitia, iuxta dicta à nobis in Pharo Scient. disp. 1. q. 2. à n. 15. atque etiam supra q. 4. Falsum est etiam, ad conceptam essentiale creatæ cognitionis spectare, quod physice à suo obiecto causari immediatè, aut mediatarè: potest enim vel à solo Deo, vel à Deo simul, & ab intellectu produci. Imo nec naturale est cognitioni creatæ causari à suo obiecto, vt patet in cognitionibus, quibus Angeli obiecta creatæ intuentur per species non ab ipsis obiectis, sed à solo Deo productas iuxta sententiam communiorum. Et quamvis cognitio creata peteat à suo obiecto primario, & directo causari; aut ab obiecto quasi reflexo, & secundario, qualis est ipsa respectu sui, non est, cur etiam causari petat. Sed estò non sit possibilis visio creata, quæ sui ipsius visio sit, adhuc non inde conficitur, Deum comprehendendi non posse à creaturā cum omnibus, quæ in se formaliter, & eminenter contenta sunt. Nam, vt inferimus trademus, si ex vi visionis substantia Dei nascatur alia visio de obiectis omnibus creatis, atque adeò etiam de priori visione, idem prætendunt duæ istæ visiones, ac si essent unica; atque adeò non erit, cur per utramque simul non datur Deus comprehendendi, à quo, ac per unicam diceretur.

<sup>83</sup> Secundò displicet iste dicendi modus. Quia ex illo sequitur contra omnium consensum, Angelum neque se ipsum, neque aliud quidpiam ens creatum comprehendere posse. Ad comprehendendum enim se ipsum, aut aliud ens ex una parte est necessarium, scando in isto modo dicendi, quod cognitione comprehensiva attingat omnes cognitiones, quæ sunt effectus tum Angeli ut principij, tum aliis entis ut obiecti, atque adeò etiam se ipsum, quæ earum una est: ex alia vero parte se ipsam nequit attingere. Quo rursus fit, vt neque alios actus eiusdem Angeli attingere possit, qui sine ipsa cognitione cognosci nequeant, utpote ad ipsum terminati. Responderi potest ex Hurt. probari quidem hoc argumento, Angelum per cognitionem naturalem nec se, nec aliud quidpiam comprehendere posse; posse tamen per supernaturale:

quia hæc per se ipsam non debet attingi, vt id, cuius est effectus comprehendendatur: eo quod ad rem comprehendendam soli naturales effectus eius debent cognitione complecti. Sed primum malè, & contra communem consensum conceditur, Angelum per naturalem cognitionem nec se, nec aliud quidpiam comprehendere posse. Deinde non satis consequenter assertur, posse per supernaturalem. Nam, cùm hæc per naturalem reflexam possit attingi, iuxta dicenda disp. seq. & omnis naturalis cognitionis titulus effectus naturalis obiecti comprehendendi debet per comprehensionem cognitionis; nec possit, nisi cogniti obiecto: conficitur comprehensionem supernaturalem Angeli, aut aliis entis creati debere necessariò attingere cognitionem naturalem reflexam sui, & consequenter se ipsam. Quod tamen iuxta doctrinam, quam impugnamus, impossibile est.

Propterè Recentiores alii, ad idem assum. 84 primum probandum dicunt, idcirco non posse ab intellectu creato videri omnia, quæ eminenter continentur in Deo; proindeque Deum ab illo comprehendendi non posse: quia nulla est possibilis visio creata, per quam possiat omnia decreta Dei secundum omnem statum, quem possunt habere, possibiliter scilicet, & existentia, cognitioni, vt possint per incrementum, per quam eo titulus Deus comprehenditur à se ipso. Etenim nulla visio creata potest representare decretum actuale de sua non existentia: quia, tali decreto actu existente, repugnat, visionem, quam ipsum remonet, existere. Tum decretum de non concurrendo ad ullam creatam visionem per nullam potest representari; sicut nec scientia visionis de talibus decretis, vt constat. Et quamvis nec per visionem incrementam represententur prout actu existentia decribuntur Dei pure possibilia, quæ actualiter non existunt; ipsa tamen talis est excellenter, vt intrinsecè immutata possit illa representare; atque ita representaret de facto, si de facto existentes. Quo nihil desideratur in ea, vt sit stricta, & perfectissima Dei comprehensio. Comprehensio quippe in universum talis naturæ debet esse, vt immutata intrinsecè cuncta, quæ ad rem comprehendendam pertinent, prout existentia valeat representare, casu, quod existentia fiant.

Hic etiam modus dicendi facile reprobaretur. Primo; quia ad admittendum, quod prætentit, impertinenter recurrat ad decretum de non existentia visionis: quandoquidem per visionem creatam actu existentem nullum omnino decretum Dei, nullum etiam omnino ens non existens est cognoscibile, vt existens pro casu, quod existet: quia visio creata, quæ modo non est expressa representatio existentie actualis decretorum, aliorumque entium, quæ actualiter non existunt, neque esset casu, quod existent: nam in visione non est accidens, sed essentia representare obiectum, vt constat. Arque adeò existentiam obiecti, quam nunc, dum illud non existit, non representat, nec representaret, si existeret. Quod adeò verum est, vt visio etiam increata essentiale sit representatio obiecti, cuius visio est. Quod si illud, quando deficit, non representat, ideo est: quia ipsa quoque ob suam infinitatem, & eminentiam in ordine ad illud representandum deficit virtualiter, prout explicabimus in tract. de Scient. qualiter visio creata ob suam limitationem, seruat formaliter.

existentiā, neque deficere.

86 Ex quo prae dictus dicendi modus secundū impugnatur ab absurdo. Sequitur enim ex illo contra consensum omnium, ne creaturarum quidem villam esse per visionem creatam comprehensibilem. Quia nulla visio creatā non representans existentiā actualem effectum purē possibilium creature comprehendenda talis natura potest esse, ut ipsamē immutata intrinsecā representaret illam casu; quid tales effectus essent actu extitentes; prout opus erat iuxta ipsum dicendi modum ad eam creaturam comprehendendam.

87 Tertiō impugnatur à priori. Quia impertinenter proflus requiritur ad conceptum comprehensionis, quod illa sit cognoscitiva veritatis actū ad obiectum comprehendendum non pertinentis pro casu, quod pertineret. Cum enim comprehensionis cognoscitiva, de qua agimus, dumtaxat exerceatur per actualem representationem eorum, quæ actualiter in obiecto cognoscibilia sunt; eo quod, quæ non sunt actu cognoscibilia, nequam posunt cum obiecto actuali cognitione complecti, ut est notissimum; conficitur, ut aliqua cognitionis sit obiecti comprehensiva, impertinens esse, quod vim habeat ad attingendum etiam ea, quæ actu non pertinent ad obiectum, neque cognoscibilia sunt de praesenti pro casu, quod pertinerent, aut essent. Non igitur est necessarium ad hoc, ut visio sit comprehensiva Dei, quod talis sit natura, ut ipsa immutata formaliter cognosceret decreta, quæ modo Deus non habet, casu, quod illa haberet, & entia, quæ nunc non existunt, ex hypothesi, quod existent. Nec visio increata Dei idcirco est eius comprehensionis, quia huiusmodi proprietate gaudet; sed ex alijs capitibus, Effet enim talis; tametsi per impossibile eā proprietate careret, ut ex dicendis apparet. Et confirmatur plane ab exemplo comprehensionis corporalis, per quam sola quantitas, quam habet corpus comprehendens, complecti, & circumscribi debet; nec opus est, ut comprehendens sit capax maioris, quam comprehendens habere possit, aut datā aliquā hypothesi haberet. Deinde ab absurdo confirmatur. Fieret enim ex doctrina, quam impugnamus, ut nulla cognitionis comprehensionis esse posset, quæ non esset ex se cognoscitiva omnium omnino entium excogitabilium tum possibilium, tum repugnantium pro casu possibili, aut impossibili, quod illa omnia pertinent ad obiectum comprehendendum, in illoque proinde forent cognoscibilia. Quod patet, plus, quam absurdum, & inauditum esse. Etenim non est maior ratio, cur comprehensionis debeat esse naturā suā cognoscitiva eorum, quæ posunt, quam eorum, quæ non posunt pertinere ad obiectum comprehendendum, dum utraque ex facto sicut non pertinent.

88 Hoc postremo argumento refutanda pariter venit affinis quedam aliorum Recentiorum sententia, qui cum Ovid. controu. 6. de Anim. punc. 5. sc. 2. censem, dici posse comprehensionem esse cognitionem, quæ attingit omnia, quæ sunt formaliter, & eminenter in obiecto, eo modo, quo sunt in obiecto; ita, ut si obiectum talis sit natura, ut absque villā intrinsecā variatione possit habere aliquem actum, & illum non habere, cognitionis quōque talis natura sit, ut prosus inuariata intrinsecā valeat talem actum representare, si detur in obiecto, & non representare, si non detur. Hinc explicant, quomodo Deus à se ipso comprehendendi possit, à creaturā vero non item:

quia, ut Deus absque intrinsecā variatione ob suam infinitatem potest actus amoris, & scientiae liberos habere, vel non habere, prout libet libuerit; ita cognitionis Dei increata ob suam eminentiam absque intrinsecā variatione vallet tales actus representare, si adiungit, & non representare, si desinet: quod tamen omnino impugnat cognitionis creatarum. Similiter explicant, quomodo nulla creatura incomprehensibilis sit ab aliis: quia, ut nulla est, quæ sine physica varia- tione possit novos actus elicere, & non elicere, ita nulla est, que ad sui comprehensionem exposcat cognitionem valentem absque physica varia- tione huiusmodi actus representare, si sint, & non representare, si desint: alia autem ab hac cognitione possibles sunt creature. Ceterum, quam sit impertinens ad rationem comprehensionis, quod posens sit illa absque villā sui variatione, representare actus non repertos in obiecto de se, pro casu, quod reperiuntur, ex dictis un- precepit. competrunt est; quæ repetere non est opus. Eis tamen addo, non minus impertinens esse, quod possit, aut non possit obiectum sine physica varia- tione aliquos actus exercere, & non exercere: nam hi solum, quos dico factō exercet, veniunt considerandi in ordine ad eius comprehensionem: nec referunt ad hanc, quod per eorum exercitium mutetur physique, aut non mutetur, ut satis ex se, atque ex dictis etiam est notum.

Postrema igitur, & ceteris omnibus communior Theologorum sententia est, ad rationem comprehensionis, de qua agimus, non solum esse necessarium, quod per villā tangantur omnia, quæ formaliter, & eminenter continentur in obiecto comprehendendo, ad illudque aliquo modo pertinent; sed etiam, quod sit cognitionis adiquata cognoscibilitati obiecti, ipsique exacte proportionata; ita, ut ea in ratione cognitionis tam perfecta sit, quam est illud in ratione cognoscibilis. Et quoniam nulla cognitionis creatarum potest cognoscibilitati Dei adiquari, quemadmodum increata adiquatur idcirco Deus à creaturā nullatenus comprehendendi potest, uti à se ipso comprehenditur. Haec est sententia, quam nos ampleximur. Eius auctores, & exactam explicationem exhibebimus in sequentibus.

### Propositio I.

Comprehensio propriè, & strictè sumpta non solum rem comprehendendam, sed etiam quidquid ad illam pertinet, vel aliquid eius est quoquo modo, debet attingere, siue cognoscendo complecti. Idque ex vi attingendi, siue cognoscendi rem ipsam.

In hane propositionem ferre consentiunt omnes Theologi tum in superioribus commenora- ti, tum quos iam refero. S. Sh. 1. p. q. 12. art. 8. & 3. p. q. 10. art. 2. & lib. 3. contra Gent. cap. 56. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 29. & tom. 1. in 3. p. disp. 26. sec. 1. & lib. 2. de Angelis cap. 31. Tri- gos. 1. p. q. 7. art. 1. dub. 7. Bann. q. 12. art. 8. conc. 1. Zumel ibidem concl. 3. Mol. disp. 2. Attrib. disp. 23. cap. 3. Fal. 1. p. q. 13. art. 7. dubit. 5. Gran. tract. 5. de Vis. disp. 13. sec. 1. Heric. 1. p. disp. 4. cap. 4. Albeda disp. 30. sec. 2. Salas 1. 2. tract. 2. disp. 4. sec. 6. n. 9. 4. Arriag. 1. p. disp. 13. sec. 1. & 6. Amic.

- Amio. disp. 10. sec. 1. Præp. q. 12. art. 7. dub. 1. Mar-  
tino. disp. 8. sec. 5. Recupit. lib. 6. q. 40. & apud eos  
alii plures, præsentim apud Fafol. & Salas.
- 91 Ratio autem propositionis est. Quia, quamvis, ut unum corpus ab alio corporaliter comprehendendi dicatur, sat sit, quod tota quantitas illius natura quantitatatem huius claudatur; co-  
quod, que extrinseca sunt, ad corpus corporaliter comprehensum non dicuntur pertinere corporaliter, sive in ordine ad corporalem compre-  
hensionem. Attamen, quia ad rem intelligibilem quæ talem non solum praedicata intrinseca, sed etiam extrinseca pertinent; vel quia idea vir-  
tualiter, seu eminenter continetur; vel quia aliquid eius sunt; vel quia quiditatem eius, & vi-  
res aliqua ratione notificant. Ideo, ut res intel-  
ligibiliter comprehendendi dicatur, non solum quoad intrinseca, sed quoad extrinseca etiam praedica-  
ta cognosci debet, ita; ut extrinseca ex vi intrin-  
secorum tangantur; alioquin comitantur solum  
& quasi accidentarè tangentur, nec quidquam  
ad rei comprehensionem praestabunt. Compre-  
hensio quippe talis cognitionis debet esse, qua vi  
lua, non solum obiectum primarium, sed, qua  
ex illo derivantur, ad illudve pertinent, ostendat.  
eo ipso, quod est cognitionis obiecti primarij.  
Propterea hominem illum, cuius consilium, &  
voluntatem non asequimus, cuiusve internos  
affectiones, aut etiam effectus ignoramus, nondum  
nos comprehendere dicimus. Sicut nec principi-  
um aliquod nos comprehendere arbitramur,  
donec ita ipsum penetremus, ut ex eo omnes  
conclusiones, qua deduci possunt, perspicia-  
mus.
- 92 Sed circa præsentem propositionem non  
nullæ restant difficultates expedienda. Prima, quan-  
nam prædicata, obiectave extrinseca in speci-  
ali cognitione debeat ad aliquam rem compre-  
hendendam. Conveniunt omnes, ea omnino  
debere cognosci, sine quibus res comprehendenda  
cognitioni nequit; qualia sunt termini relationum  
intrinsecarum, sive transcendentalium eius.  
Deinde conueniunt, debere etiam cognosci pas-  
siones inseparabiles ab essentia rei emanantes.  
Tum accidentia rei intrinseca, & eius actus, at-  
que effectus, in quantum possibles sunt. Quia  
cuncta hæc aliquid rei sunt, eorumque cognitione  
non parum conferre videatur ad rei quiditatem,  
& vires penitus penetrandas. Quod maximè re-  
rum est in sententiâ communis ponente in causis  
transcendentalem relationem ad effectus possibili-  
es. Vtrum autem omnia prædicta non solum  
ut possibilia, sed etiam ut existentia debeat co-  
gnosci, quando existunt, ut res, ad quam illa  
pertinent, comprehendatur, sub controverbia est.  
Affirmant Vazq. 1.p. disp. 53. n. 15. & disp. 205.  
n. 9. & aliqui Recentiores, qui difficultatem atti-  
gerunt; consequenter censentes, non posse unum  
Angulum naturaliter comprehendere alterum:  
quia secreta cordis eius cognoscere nequit. Ne-  
gant verò Soar. lib. 2. de Angel. cap. 31. n. 9.  
Gran. tract. 4. de Angel. num. 13. Alarc. tract. 1.  
disp. 4. cap. 6. n. 18. & quotquot docent, unum  
Angelum alterum comprehendere naturaliter.  
Ego vtroque arbitror componendos: quia præ-  
fessi dissidium ad solum loquendi modum redu-  
citur.
- 93 Astero itaque primum, ut res aliqua quoad  
substantiam, seu entitatem propriam compre-  
hendatur; omnia omnino, ad quæ illa intrinseca, tran-  
scendentia literæ, ut aiunt, refertur, distinctè de-  
bere cognosci, prout terminant talem relatio-  
nem: quia, cum res sine illis aliquo modo co-  
gnitis absolute cognosci nequeat; nec sine illis  
distinctè cognitis poterit perfectè cognosci, prout  
ad comprehensionem requiritur, ut satis ex fe-  
notum est, & apud omnes in confessio. Hinc  
actus, effectus, passiones, & accidentia rei intrin-  
seca in quantum possibilia singulatim cognosci  
debent, ut res comprehendatur, si ad illa ut sic  
refertur res natura sua, ut communis sententia  
est. Patericunque cognoci debent prout exi-  
stentia illa, ad quæ ut taliæ res refertur, ob eam  
rationem.
- Secundò astero, ut res quoad substantiam, 94  
suum præcisè comprehendendi dicatur, nullum  
aliorum entium, ad quæ ipsa natura sua non  
refertur, debere cognosci. Quia sine his cogni-  
tis, potest intrinseca rei substantia, se sententias per-  
fectè cognosci, prout ad comprehensionem re-  
quiritur; cognitione videlicet adiquata cogno-  
sibilitate rei intrinsecæ, & absolutæ iuxta do-  
ctrinam tradendam propos. seq. Hoe sensu vera  
est secunda sententia P. Soar. & aliorum. Cate-  
rimum, quia, ut res absolute, & simpliciter com-  
prehendi dicuntur, non solum cognoscibilitas eius  
intrinseca, & absoluta, sed veluti extrinseca  
etiam, & respectiva est per comprehensionem  
eahaurienda iuxta dicenda ibidem.
- Astero tertio cum P. Vazq. & alijs Auctoriis, 95  
bus, prima sententia, ut res absolute, & simili-  
citer comprehendendi dicatur, omnia, quæ ad illam  
quavis ratione pertinent, aut aliquid eius sunt  
quoque modo, debere cognosci: qualia sunt  
omnes eius actus, effectus, atque passiones sum-  
proprias, tum communes tam mere possibles,  
quam existentes in quavis differentia temporis  
præsenti, præterita, vel futura; & vniuersim om-  
nia accidentia seu necessaria, seu contingencia,  
cum quibus res comprehendenda aliquod genus  
necessitudinis habuerit; tametsi nullum intrin-  
secum, sive transcendentalem respectum aut con-  
nexione, aut etiam non connexionis habeat ad  
illa. In quibus ad dictam rem pertinentibus  
non solum mere possibilia, & existentia abolu-  
te, sed etiam existentia conditionata connun-  
ienda sunt, ut bene Ruiz disp. 73. de Scient. sect.  
5. n. 9. & lect. 6. n. 3.
- Sed dicit aliquis. Nulla res potest obiec-  
tiū determinare intellectum ad cognoscenda  
alia obiecta, cum quibus illa nullo modo connexa  
est. Ergo ex vi cognitionis cuiusvis rei compre-  
hendenda nulla alia obiecta ad ipsam rem aliquo  
modo pertinencia cognosci possunt, nisi res ipsa  
cum illis aliquo modo connexa sit. Distinguo  
antecedens. Nulla res potest determinare intelle-  
ctum ad cognoscenda alia obiecta, &c. cogni-  
tione non comprehensuas concedo. Cognitio-  
ne comprehensuas nego. Et nego consequen-  
tiam. Eo enim ipso, quod res comprehendendi  
non potest, nisi cognoscatur non solum absolute  
ut quoad veritatem intrinsecam, quam habet in  
se, sed insuper comparatiæ ad alia omnia obie-  
cta extrinseca, quæ ad se pertinent quoque mo-  
do, semel horum veritate supposita ut quadam  
extrinseca conditione, iam talis res prout com-  
prehensibilis ab intellectu ipsum determinare  
valet non solum ad cognoscendum se, sed insuper  
ad cognoscenda cetera, quæ pertinent ad se  
quoque modo. Quod ipsum est, intellectum  
comprehensionis talis rei quatenus talem com-  
petet esse ad cognoscendum tum ipsam rem, tum

ex

ex vi ipsius, sive ex vi cognoscendi ipsam cetera cuncta, quae ad ipsam pertinent, horum veritatem supposita, quantumvis à talium veritate sit res ipsa absoluta. De quo plura dicenda venient in tractatu de Scientia.

97 Secundò dubitari potest, an, ut res aliqua comprehendatur; effectus etiam, & accidentia supernaturalia eius cognosci debeant. Dicunt communiter Doctores. Soar. tom. 1. in 3. p. disp. 26. sec. 1. Gran. 1. tract. 5. de Vision. disp. 13. sect. 1. num. 10. Heric. disp. 4. in fine. Alarc. tract. 1. disp. 4. cap. 6. num. 17. Card. Lugo. disp. 19. de Incarn. sect. 2. num. 32. Ripal. disp. 11. de eute supern. sect. 4. num. 19. & alii. Et merito. Quia effectus, & accidentia supernaturalia, eo ipso, quod sunt supra omnem exigentiam, & debitum rei, cui convenient, ex una parte neque ad naturam eius pertinere, neque aliquid eius esse tenenda sunt; ex alia vero res ipsa cum illis adhuc, ut possibilibus connexa non est, ut videbimus disp. 18. Atque adeo, ut res absolute, & simpliciter comprehendendi dicatur, non est, cur illa cognosci debeant.

98 Tertia difficultas circa presentem propositionem est, quo genere cognitionis cognosci debant ea predicata ex insufficiadre pertinentia, que ex vi comprehensionis eius cognoscendi sunt iuxta dicta in Certeum est primo, non debere cognosci comprehendendae. Ita enim supponete, videntur omnes, & exprimitur. Ripal. disp. 13. de eate supern. sect. 2. presentim num. 7. Probatur, que primo à posteriori. Quia, cum Deus cognosci necessario debet, ut quavis creatura comprehendatur, ipso relata ad ipsum transenden- tialiter, & alias ab intellectu creare incomprehensibilis sit, si ea, que ex vi comprehensionis creaturæ cognosci debent, comprehendendae essent cognoscenda, nulla creatura ab ullo intellectu creato comprehendensibitis est. Quod est absurdum. Aliorum ab omnium consensus. Secundò probatur à priori. Quia, ut cognoscibilitas tam respectiva, quam absolute cuiuslibet rei exhaustiatur, seu adaequetur per cognitionem, prius ad rei comprehensionem requiritur, non opus est, quod illa, quae ad rem pertinent per adiquatam etiam respedita fu, atque adeo comprehendensiam cognitionem, tangantur; sed sufficiat ea minus perfecta cognitione, quam comprehendens cognosci. Quia verae ratio etiam probat, cetera, que cognosci debent ex vi comprehensionis cuiusque rei, ne intuituè quidem, aut per speciem propriam debere necessario cognosci: quandoquidem Angelus iuxta sententiam omnium res sibi inferiores comprehendit, atque adeo per cognitionem earum cognoscibiliati adiquatam cognoscit; & tamen Deum, quem ex vi talis comprehensionis attingit, neque intuituè, neque per speciem propriam attingit. Addiderim tamen, casu, quod cuncta ad rem, que comprehenduntur, pertinentia comprehendue etiam tangantur, aut intuituè, longè lore perfectiorem ipsius rei comprehensionem, quam si alio genere cognitionis minus perfecto tangerentur.

99 Quibus suppositis, arbitror id, quod communiter Doctores videntur supponere, esti non ita expressè definiti; nempe, ut quavis res simpliciter, & absolute comprehendendi dicatur, necessarium esse, & sufficere, quod illa, que ad ipsam pertinent, & ex vi comprehensionis eius sunt cognoscenda, distincte, & in particulari, atque etiam evidenter, iudicatiueque cognoscantur, licet per species alienas: nam minus perfecta co-

rum cognitionis ad comprehensionem rei absolutam non videtur sufficere; sicut neque cum cognitione adiquata cogitoceabilitati comparativa rei componi. Cognitionis autem magis perfecta, qualis sola est, que habetur per species proprias, necessaria non est, ut vidimus; tametili, quod magis ea perfecta fuerit, eo perfectior erit rei comprehensione, ut adducimus.

### Propositio. 2.

Comprehensionis propriè, & strictè sumpta, prater quam quod rem comprehendendam cum omnibus, qua ad illam pertinent, debet amplecti, sicuti prop. 1. statutum est, insuper, debet esse cognitionis eiusdem rei cognoscibilitatem adiquans adeo, ut quam est perfecta res ipsa in esse cognoscibilis, tam sit perfecta comprehen- sionis in esse cognitionis; vel ita, ut per illam res cognoscatur, quam perfectè natura sua petit cognosci, seu quam perfectè est cognoscibilis proportionate ad suam natu- ram.

Hac propositio, quidquid nonnulli refra- gentur, aperte est S. Thom. varijs in locis, praes- tissim 1. p. q. 12. art. 7. & q. 14. art. 3. & lib. 3. contra Gent. cap. 5. & q. 8. de Veritate. Tenerent eam Thomistæ communiter ad art. 7. citatum, ubi Caiet. Valen. Moli. & alii. Pro eadem referuntur Bonau. in 3. dist. 14. art. 1. q. 2. Ricard. art. 1. q. 4. Scot. q. 1. s. Ad primum. Duran. q. 1. n. 10. Maior. q. 15. Sotus. q. 3. art. 1. Sequuntur illam Arrib. 1. p. disp. 23. cap. 4. Heric. disp. 4. cap. 4. Moncus. disp. 2. cap. 7. Tanner. disp. 2. q. 6. dub. 4. n. 10. Ruiz tom. de Scien. disp. 6. sect. 2. & seqq. Atriag. Pre- posit. Martinon. Amicus. Recupitus citati n. 90. & apud eos alij plures; qui tamen in modo illam explicandi non omnino sunt uniformes. Conser- vit Soar. tom. 1. in 3. p. disp. 26. sect. 1. dum tanquam prorsus indubitatum pronunciat, ad comprehen- sionem intellectualem necessarium esse, ut cogniti- sit clara, evidens, & certa, cum debita proportione ad obiectum cognitum.

Probatur primò propositio auctoritate Pa- trum, è quorum numero sit primus S. Thom. qui 1. p. q. 12. art. 7. citato in corp. ait, Illud comprehenditur, quod perfectè cognoscitur: perfectè autem cognoscitur, quod tantum cognoscitur, quantum est co- gnoscibile. Vnde, si id, quod est cognoscibile per scien- tiā demonstratiū, opinione teneatur ex aliquā ratione probabili conceptā, non comprehenditur. Et ad 2. Ad secundum dicendum, quod non propriè hoc Deus incomprehensibilis dicitur, quasi aliquid eius sit, quod non videatur; sed quia non ita perfectè vide- tur, sicut visibilis est. Et q. illa 8. de Verit. art. 2. in corp. cū distinxisset S. Th. & eleganter expli- casset duplē modum comprehensionis secun- dum duplē quantitatē, nimirum dimensionē, & virtualem, concludit. Et idem impossibile est, quod aliquis intellectus creatus diuinam essentiam comprehendat; non quia partem aliquam eius ignoret; sed quia ad perfectum modum cognitionis ipsius pertinere non posst. Et ad 2. dicit, tunc rem aliquam comprehendendi; quando ita est perfectus modus visio- nis ipsius videntis, sicut est modus visibilitatis ipsius rei. Et 3. p. q. 10. art. 1. ad 2. ait, Anima Christi lo- ram Dei essentiam vident; non tamen tam comprehendin-

qna

## Disp. XVII. De nat. poss. & exist. Visi. Dei. Quæst. VI. 511

quæ non totaliter, id est, non ita perfectè, sicut est visibilis. Ex quibus planè liquet, secundum S. Th. de ratione comprehensionis intellectuæ esse, non solum, quod cognoscatur per illam totum, quod est cognoscibile ex parte obiecti, sed etiam, quod cognoscatur adeò perfectè ex parte modi tendendi actus, ut quam est perfectum obiectum in esse intelligibilis, tam sit perfecta comprehensionis in esse cognitionis. In omni quippe comprehensione quantitas rei comprehendens quantitatem rei comprehensionis adæquare debet, ut constat: quantitas autem cognitionis non solum penes quantitatem obiecti, sed penes perfectionem ipsius cognitionis, quæ suam habet quantitatem, pensanda est. Nam vi benè ipso S. Th. 3, p. q. 10. cit. art. 2, ad 3. Quantitas scientie non solum attenditur secundum numerum scibilium, sed etiam secundum claritatem cognitionis. Quæ quidem claritas perfectio cognitionis, seu scientie est.

**102** *Eadem videtur fuisse mens Augusti. tom. 2. in questiunculis de Trinit. & in lib. foli. cap. 12. verbis, quæ retulimus supra q. præced. Vnde in definitione comprehensionis, quam ex eodem adduximus in hac q. sub initium, duplum comprehensionis perfectionem ceasendus est comprehendens; alteram extensiunam, ratione cuius nihil obiecti latet videntem; alteram quasi intensiunam, quæ obiecti fines circumspectant, hoc est, quæ res veluti ad finem visque, seu fundum penetratur. Tunc enim (inquit S. Th. art. 7. cit. explicans Aug. phrasim) fines aliquis circumspectur, quando ad finem in modo cognoscendi illam rem peruenit.*

**103** In eadem sententia sunt reliqui Patres, quorum testimonia concessimus q. præced. quoties dicunt, profunda Dei solum Spiritum sanctum, & Filium, atque adeò Deum ipsum scrutari posse, & penetrare; tum exquisitus, plenè, integrè, perfectè, in toto, & ut oportet cognoscere creaturam verò minimè. Quibus non obscure significant, comprehensionem intellectuam Dei ex suo peculiari modo tendendi in substantiam diuinam tantæ esse perfectionis, quanta in sola cognitione increata eiudem Dei, non item in cognitione creature reperiri queat. Sentiunt igitur vniuersitatem comprehensionem penes perfectionem rei comprehensionis taxare sibi perfectionem, adeò; ut, quam est perfectum obiectum in esse cognoscibilis, tam perfecta debeat esse in esse cognitionis cognitionis, per quam illud comprehendendi dicendum est. Quod confirmari potest specialiter ex verbis Augusti, iam supra citatis dicentis lib. 12. de Civit. cap. 18. *Quidquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur.* Nequit enim finiri omnino per scientiam id, quod est aliquo modo maius, quam scientia; quale est, quod in esse cognoscibilis maiorem perfectionem habet, quam scientia in esse cognitionis.

**104** Ratione etiam probatur, & declaratur positio. Primo à priori; quia cognoscibilitas intrinseca entis naturam, & perfectionem eius consequitur, ut passiones consequuntur essentiam; atque ita, quod perfectius est ens, eo perfectiori cognoscibilitate intrinseca, seu radicali gaudet, ratione cuius perfectiorem sibi taxat proportionatam cognitionem. Quemadmodum enim, quod perfectius est bonum, eo est magis amabile; id est, maiore, seu perfectiore amore dignum, maiori, seu perfectiori amori proportionatum; ita, quod perfectius est verum, eo perfectiori co-

gnitioni proportionatum est, atque veluti dignum illa. Ob id communis Theologorum opinione obiectum spirituale nullatenus est cognoscibile cognitione corporeâ: quia nullum cum illa quoad perfectionem habet proportionem earum, quæ inter obiectum, & cognitionem revertiri debent. Quoniam autem comprehendens, & comprehensum ita inter se commensurari, atque proportionari debent, ut quantitas unius, quæcumque illa sit, alterius quantitati adæquatur; (vix in comprehensione corporali, à quæ ad intellectualem translatum est nomen, cernere licet); ea utique sola cognitione obiecti comprehensionis erit, quæ toti eius cognoscibilitati, atque adeò integræ eius quantitatii adæquata fuerit. Porro in obiecto, sive in eius intrinseca cognoscibilitate duplex quantitas spectari potest; altera veluti extensionis; altera quasi intensionis. Quantitatem extensionis conficiunt partes obiecti intrinsecæ; atque ea insuper extrinseca, quæ aliquid obiecti esse, ad illud pertinere dicuntur, & vi ejus sunt cognoscenda, ut comprehendendi dicatur iuxta doctrinam prop. 1. Quantitas vero quasi intensionis est ipsa perfectio metaphysica, atque quiditatua obiecti. Utique igitur quantitatii debet commensurari, adæquare, atque proportionari cognitionis, ut iure exacta obiecti comprehensionis dicitur. Adæquatur quantitatii extensiæ, quando nihil omnino obiecti intrinsecum, aut extrinsecum latet, nihil non representatur, exprimiturque cognoscenti vi talis cognitionis. Intensiuæ vero quantitatii tunc adæquare, sive proportionari dicitur, quando iam perfecta cognitionis est in esse cognitionis, quam est obiectum in esse obiecti, seu, quod idem est, quando perfectio obiecti, & perfectio cognitionis non solum physica, & gradualis, sed etiam metaphysica, & essentialis ita inter se comparantur, ut merito tantum cognitionis tanto obiecto censer possit proportionata, atque adeò consentanea, & quodammodo debita. Talis ergo debet esse cognitionis, ut sit obiecti comprehensionis.

**105** Secundò probatur id ipsum. Quia nisi cognitionis sit clara, evidens, & certa, comprehensionis obiecti esse non potest, quantumvis nihil sit obiecti, quod non representetur, ut apud omnes est indubitatum, teste Soar. citato supra n. 100. Ergo de ratione comprehensionis intellectuæ, non solum est tangere totum obiectum, & quidquid pertinet ad illud, sed etiam, quod cognitionis, qua tangitur, aliquam perfectionem habeat ex modo tendendi. Quidni igitur, quod tanta sit perfectio huiusmodi, quantum expicit cognoscibilitas obiecti, seu quanta opus est, ut cognitionis obiecto censeatur proportionata, seu adæquata quoad quantitatem perfectionis?

Tertio probatur ptopositio ab absurdo. **106** Quia, si ad conceptum comprehensionis intellectuæ sufficeret, quod cognoscerentur per illam omnia, quæ tum formaliter, tam eminenter continentur in obiecto comprehendendo, ut prætendent Aduersarij, sequeretur, aut esse Deum, reuerâ comprehensibilem à creaturâ, aut, saltem esse probable, quod talis sit, contra dogma fidei statutum q. præced. Nam, ut constabit ex dicentis disput. 20. aut verum est, aut saltem, probabile, fieri posse de potentia absolutâ, quod aliqua creatura cognoscat omnia, quæ formaliter, & eminenter continentur in Deo, qua ratione Aduersarij centent cognosci debere, ut sit comprehensionis Dei eorum cognitionis.

Quar.

## Tractatus VIII. De Deo uno.

512

107 Quartò probatur propositio aliarum sententiarum refutatione, quam præmisimus, ampliusque argumentorum, quæ opponi solent, solutione præterea confirmabitur, ac declarabitur.

108 Primò enim contra illam opponit Vazquez. Comprehendere rem aliquam, nihil est aliud, quam totum, quod in ea est, ita cognitione complecti, ut nihil illius lateat, sed integrè intra finum, ac veluti concavitatem, capacitatemve cognitionis continetur; quemadmodum in comprehensione corporeæ, unde translatio ad intellectum facta est, corpus comprehensum intra superficiem concavam continentis integrè continetur. Sed sinus, & capacitas cognitionis aliud non est ab eis representatione. Ergo, ut obiectum quantumvis perfectum per cognitionem comprehendendi dicatur, sat est, quod per illam integrè representetur, quidquid sit de perfectione representationis, seu cognitionis. Sicut, ut corpus à corpore comprehendatur, sat est, quod primum intra secundum integrè concludatur, quantumvis perfectæ materia sit alterum, alterumque imperfectæ, aut è contraria. Ad rationem igitur comprehensionis impertinens est, quod cognitionis, & obiectum quoad perfectionem adæquare, sive proportionentur.

109 Respondeo primò, hoc argumentum, si quid probat, etiam probare, comprehensionem intellectualem in cognitione rei obscuræ, & incertæ, aut apprehensionia simpliciter, vel etiam dubiâ integræ rem representante posse constitire. Quod tamen contra existimationem omnium est, & contra rationem. Quis enim dicat, aut vagum dixit, se obiectum illud comprehendere, circa quod prorsus dubius harer, nihil valens judicare de illo; cum tamen per simplicem apprehensionem integrè totum illud ibi propositum, atque representatum habeat? Ceterè, si ad comprehendendum obiectum satis est, totum illud, aut etiam quidquid ad illud pertinet, vt cunque cognitione complecti, vel naturaliter possemus homines etiam in hac vita mortali comprehendere Deum, ut efficiebant Anomai: quia possimus cognitione confusa, & vniuersali una cum Deo cetera cuncta cognoscibilia in unum obiectuum conceptum cogere; qui aliquid sit excogitabile, quod in illo non involvatur, & per huiusmodi cognitionem confusè non represententur. Nec deest hinc (si tam rigidè, vt vult Vazq. est obseruanda) analogia comprehensionis corporalis: quandoquidem, ut unum corpus plura alia comprehendere dicatur, non est necesse, quod singula singillatim ambiat; sed satis est, quod cuncta simul coacernata mixtæ, & confusè complectatur. Ex quo patet, per argumentum factum nihil probari.

110 Respondeo ergo ad illud secundò, comprehensionem intellectualem hoc à corporali differre, quod in corporali unum dumtaxat genus quantitatis, videlicet extensiæ venit considerandum, in intellectuali verò duplex, extensiæ scilicet, & intensiæ. Ex quibus primum solum genus considerarunt Vazquez, & sui. Farendum itaque est, quantitatib[us] veluti extensiæ obiecti extensionem quoque representationis cognitionis correspondere; atque adeò tunc cognitionem quoad istud genus quantitatis cum obiecto adæquare, quando nihil omnino est obiecti, quod non representetur per cognitionem. Huiusmodi tamen adæquatio ad absolutam obiecti compre-

hensionem sufficiens non est; nisi alia quoque intercedat inter perfectionem obiecti, & perfectionem cognitionis, quæ veluti intensua eorum, quantitas est. Non enim censetur obiectum in esse cognoscibilis cognitione penitus complecti, & finiri, quantumvis per illam totum representetur, donec tam perfectè representatur, cognoscitur, ac penetratur, quam consentaneæ ad perfectionem iuxta natura representabilis, atque cognoscibilis est. Et quidem duplex dictum genitum quantitatis debere spectari in obiecto, & in cognitione ad dijudicandum, num illud per hanc comprehendatur, pater ex omnium sensu; qui, ut sit cognitionis comprehensio sui obiecti, non solum requirunt, quod totum integrè representet, sed etiam, quod cum certa quadam perfectione tendat in illud, videlicet cum claritate, seu evidentiâ, cum certitudine, iudicatiue, &c. Itaque circa vtramque quantitatem prædictam debet inter cognitionem, & obiectum suo modo fertari analogia à comprehensione corporali deducta, ut obiectum per cognitionem comprehendendi dicatur; nimisrum, ut cognitionis, & obiectum æquæ quoad quantitatem tam intensuam, quam extensiæ commenstrantur, ac corpori conmensurantur quoad solum extensiæ.

111 Secundo obijicitur. Si de ratione comprehensionis est, quod res comprehendenda cognoscatur ita perfectè, sicut cognoscibilis est, ut ait S. Th. I. p. q. 14. art. 3. in corp. sequitur, nullam creaturam ab aliâ comprehendi posse; quia nulla creatura potest aliam cognoscere tam perfectè, quam est cognoscibilis a Deo. Respondeo, non esse de ratione comprehensionis, quod res cognoscatur tam perfectè, quam est cognoscibilis absolute, sed, quam est cognoscibilis consentaneæ ad perfectionem propriæ naturæ, sive, quam iuxta talen perfectionem cognosci potest. Quod solum vult S. Th. verbis citatis, ut ex alijs eius locis supra commemoratis constat. Vnde patet, bene posse vnam creaturam comprehendendi ab aliâ; quia potest ab aliâ cognosci, quam perfectè cognosci petit proportionatè ad suam naturam.

Tertiò obijicitur. Omnis cognitionis creatura est accidentis, atque adeò minus perfecta, quam substantia. Ergo si tam perfectia debet esse cognitionis, quam obiectum, ut hoc per illam comprehendendi dicatur, saltem nulla substantia creatura per cognitionem creatam comprehendibilis. Quod est absurdum contra omnes. Respondeo, me non dixisse comprehensionem debere esse cognitionem tam perfectam in esse entis, quam obiectum, sed solum in esse cognitionis. Equalitas quippe, seu potius adæquatio requiriat inter comprehensionem, & obiectum non debet esse mathematica, qualis conuenit extremitate ciuidem generis, sed proportionalis, qualis inter extrema diuersi generis reperi solet: nimisrum, ut tam perfecta sit comprehensionis in genere cognitionis, quam est obiectum in genere obiecti, seu entis. Quod fieri potest, et si comprehensionem quoad perfectionem, quam habet in genere entis, longe inferioris nota sit, quam obiectum. Fieri enim potest, ut cognitionis, quæ quoad perfectionem entitativam excedit ab obiecto in dimidio, quoad perfectionem cognitionis propriam, quælis est claritas, perspicacia, certitudo, &c. proportionaliter sit æqualis, sive adæquata obiecto, eo quod, si obiectum entitativum est perfectum, quatuor, cognitionis quoad claritatem, perspicacitatem, certitudinem, &c. perfecta cu[m] re-

pu-

putatur ut quatuor; seu potius clara, perspicax, certa, &c. censetur ut quatuor; tametsi in esse entis perfecta tantum censetur ut duo.

<sup>113</sup> Ex dictis colligitur, cur Deus ab intellectu creato incomprehensibilis sit. Nimurum quia cognitio comprehensiva Dei, præterquam quod Deum ipsum, & vi eius, quidquid ad ipsum pertinet, debet attingere. infinita insuper simpliciter esse debet in esse cognitionis tali infinitudine, qua possit infinita cognoscibilitati Dei proportionari, & adæquari. Constat autem, talem infinitudinem nullatenus posse conuenire cognitioni creatrice, sed solum reperiit in diuinâ; qua sola proinde Deus potest comprehendendi a se ipso. Quoniam autem cognitionis increata Dei idem realiter est cum diuina substantia, nequit non ea esse etiam infinita in genere entis. Quo-fit, ut comprehensionis Dei tam in esse entis, quam in esse cognitionis necessariò cum suo obiecto adæquari debeat; non quidem, quod sit de ratione comprehensionis adæquatio in genere entis cum suo obiecto; sed, quod adæquatio cum Deo in genere cognitionis nulli cognitioni est possibilis; qua non sit substantialiter idem cum Deo ipso; qualis est cognitionis increata: quia nulla cognitionis creata potest in genere cognitionis esse ita simpliciter infinita, ut opus est, ut in eo genere adæquetur cum obiecto in-creato.

<sup>114</sup> Rogabit hic aliquis primò, utrum agens intellectuale tam perfectum saltem esse debeat in genere entis, quam obiectum cognoscendum, ut hoc ab illo comprehendendi possit. Respondeo, comprehensione supernaturali bene agens intellectuale minus perfectum comprehendere obiectum magis perfectum: quia defectus perfectionis talis agentis per elevationem requisitam ad comprehensionem supernaturalem suppleri potest; ita, ut adæquatum principium talis comprehensionis æquè, aut magis perfectum, quam obiectum comprehendendum, euadat. Hoc à nemine, ut reor, negabitur. Difficultas est, si sit sermo de comprehensione ordinis naturalis. Henrice, & Arriaga supra putant, æquè saltem perfectum debere esse agens intellectuale, ac obiectum comprehendendum, ut hoc possit naturaliter ab illo comprehendendi. Id quod etiam sentit Soar. in loco de Angelis citato supra, & quotquot censem, Angelos tum se ipsos, tum alios inferiores se valere naturaliter comprehendere, non vero idem superiores. Imò Arriaga in eo ponit proportionem cognitionis cum obiecto ad comprehensionem requisitam, quod cognitionis procedat à principio adæquato æquè saltem perfecto, ac est obiectum.

<sup>115</sup> Ego vero oppositum sentio cum alijs Doctoribus, qui opinantur, etiam Angelos superiores possunt naturaliter ab inferioribus comprehendendi. Quod sentit Vazq. ex hypothesi, quod unus Angelus possit comprehendere alterum; nec reprobat omnino Soar. Mouetur; quia, cum cognitionis comprehensiva longè imperfector esse possit in esse entis obiecto comprehendendo, ut constat ex dictis, non est, cur principium eius in esse entis æquè perfectum, ac obiectum, esse debeat, ut satis ex se notum est. Ut enim cognitionis in esse entis minus perfecta, quam obiectum, ita potest esse illi proportionata in esse cognitionis, ut eius comprehensionis sit, iuxta dicta; sic principium eius in esse entis minus perfectum, quam obiectum, ita potest esse illi in esse cognitionis proportionatum, ut sit ipsius comprehensionis.

<sup>116</sup> Quād autem male Arriaga ponat rationem comprehensionis in eo, quod principium cognitionis, & eius obiectum æqualem perfectionem habeant, inde probatur: quia sequeretur, quod principium cognitionis, & eius obiectum, equalia in perfectione sunt, non posse non cognitionem esse comprehensionis, quantumvis ea sit obscura, & confusa, aut etiam simpliciter tantum apprehensiva, prout circa dubium esse potest. Quod est absurdum. Præterquam quod adæquatio ad comprehensionem requisita formaliter non principij, & obiecti, sed cognitionis, & obiecti est, ut satis est notum ex se, & ex dictis.

Secundò rogabit quispiam, an sit necesse, ut comprehendatur obiectum, quod eadem omnino cognitione, qua tangitur illud, tangantur etiam vi eius cetera, que ad illud pertinent, & debent tangi iuxta doctrinam statutam prop. 1. Affirmat Soar. supra, ceterique Doctores communiter id ipsum videntur supponere. Sed mihi non parum videtur probabile, posse per duas, aut plures cognitiones praestari id, quod prestari potest per unam in ordine ad percipiendum, atque adeò etiam comprehendendum obiectum. Existimo enim, quando plura sunt cognoscenda, æquè clare, certo, & perspicaciter, & vniuersim æque perfecte posse illa per plures, atque per unicam cognitionem notificari; ita, quod perfectio aggregati cognitionum tendendentium simul in plura obiecta æquivalenter saltem tantæ esse possit, quanta potest esse perfectio unius obiecta eadem completentis. Vnde censeo, casu, quod obiectum cognoscatur per unam cognitionem suę intrinsecas cognoscibiliati ex modo tendendi adæquatam, vi cuius determinetur intellectus ad cognoscendum per aliam cetera extrinseca, que ad illud pertinent, fore, ut per has duas cognitiones non minus tale obiectum comprehendatur, quam, si per unam id totum fieret. Hoc solum discriminis erit: quod si per unam id praestatur; ea intrinsecè erit comprehensionis obiecti: si vero per duas, cognitionis obiecti alterani extrinsecorum inferens extrinsecè ab eius confortio euadet obiecti comprehensionis.

Ex dictis ad extremum colligi potest, <sup>118</sup> qualis debeat esse amor, qui comparatione obiecti, cuius est amor, comprehensionis dici possit. Erit enim ille, qui adæquet amabilitatem obiecti; sicut cognitionis comprehensionis est, que obiecti cognoscibilitatem adæquat, ut explicuimus. De quo plura in tract. de Volunt. Videatur interim Ruiz tom. de Volun. disp. 3. sec. 4.

## QVÆSTIO VII.

*Virūm Deus non solum intellectu creatus, sed oculis etiam corporeis viseri possit.*

<sup>119</sup> D eum oculis corporeis esse visibilem finge- bant Gentiles, teste Athanasio in orat. contra idola, & Cypriano lib. de idolorum vanitate. Hæretici etiam Anthropomorphæ, cum putarent, Deum esse corporeum, visibilem quoque oculis corporeis faciebant, apud Epiphan. hærel. 70. & Pateol. lib. 1. hærel. 50. Item Ariani quidam, in quibus Maximinus, Filium Dei,

T T T quiem